

utinam vero nexus singulos, quod ardui negotii est, e genuinis rerum monumentis commonstrarent. E regum numero delendum esse Wittekindum, plura produnt; a) testimonia Bedae ac veterum, Saxones regem non habere; sed satrapas plures: quorum aliqui duodecim numerant; dubium, an illi communi iure, an per duodecim prouincias figillatim rexerint? b) ipse Wittekindus audit vnus e primoribus Westphalorum; c) neque maiores eius a coaeuis docentur, certo argumento, illum neque e regio stemmate ortum traxisse, neque d) satrapas hereditario iure successisse (r). Ducem Saxoniae a Carolo M. non effectum fuisse eundem Wittekindum, fidem plura faciunt: a) prudentia victoris non admittit, vt credamus, rebelles eum subditos fidei Wittekindi, perfidi quondam hominis, commisisse; b) praesumptio in regionibus, bello acquisitis, est contraria; c) neque in vnica Saxoniam Carolus M. a recepta consuetudine, per ministros prouincias regendi, abiisse, credibile est. Legantur hic Meibomius, Boeclerus, Schurzfleischius in voluminibus huius argumenti. Vacillant ergo Saxoniae reges apud Saxonem Grammaticum, Cranzium & recentiores, qui vtrumque sequuntur. Aduersio Schurzfleischii est, Wittekindum ducis quidem elogio Monachum Corbeiensis celebrare; non vero cum adiectione Saxoniae: quod stylo Carolini aevi repugnet. Ceterum Angriae vicum in Westphalia hereditario forte iure possedit Wittekindus, vbi humatus est, cadauere eius post Wallerslebiam non procul a Brema, demum Paderbornam (s) translato. De fabula Rulandina cursim.

§. V.

- (r) Ciuiles tamen calculos habet illa opinio, Wittekindum oriundum esse ex stirpe regum Saxoniae.
- (s) Ita quidem cum Cranzio in Sax. & Chronico Cellensi Fabricius lib. I. Rerum memorabilium rem narrat, sed rectius in Monumentis Paderbornensibus traditum, Angariensi Collegio a Wittekindo fundato, auctoritate Pontificia An. 1414. 16. Ian. translato, & Heruordiam in Ecclesiam S. Iohannis migrante, cineres Wittekindi cistae lignae inclusos vna cum aliis quibusdam cimeliis illinc asportatos. Id quod Turcius e Soc. Iesu in Fastis Carolinis his verbis p. 57. confirmat: *Wittekindi maximi Ducis ossa etiamnum Heruordiae cistae inclusa asseruantur.*